

clesiæ sustentavimus : fratres vero nostros in ecclesia substitutos, pristinis ecclesiæ possessionibus et justitiis donavimus : et pro ampliori pace et quiete eos ad neminem, nisi ad nos et successores nostros, respectum habere statuimus. Ut igitur hæc in perpetuum incònvulsa permaneant, banho beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostro confirmamus. Conservantibus pax et remissio peccatorum. Si vero aliqua conditionis alicujus persona, studii nostri laborem præsumperit cassare, vel temerario ausu

A pauperes Christi disturbare, vel aliqua occasione voluerit eliminare, sit anathema maranatha usque in diem Domini. Ego Elinderus subscribo. Ego Uwernus subscribo. Ego Wernerus subscribo. Ego Sidagus subscribo. Ego Anselmus subscribo. Ego Theodericus subscribo. Ego Sigebodo subscribo; Ego Godescalcus subscribo. Actum est ab Incarnatione Domini anno 1129, indictione vii, iv Kalendas Novembris, in suburbio civitatis Magdeburg, in abbacia beati Joannis Baptistæ.

## SANCTI NORBERTI

MAGDEBURGENSIS ARCHIEPISCOPI

### SERMONES DUO AD POPULUM.

#### SERMO I.

(Hugo, *Vie de saint Norbert*, Luxembourg, 1704, 4<sup>o</sup>, notes, p. 354.)

Dolens a vobis discesseram, fratres, sed propitia Dei clementia, jam lætus et quasi tripudians revertor ad vos. Inimicus homo, inveteratus ille odii et rixarum seminator diabolus, diro nos a vobis schismate avulserat, ut qui imperium a scissuris incœperat stabilire propagaret dissidiis, pastoremque a grege dividens oves sine certo dñice, ad vocem mercenarii vagantes, in daractam detraheret. Hæc fuit invidentis inimici antiqua fraus; hæc fuit et mali præsertis origo, per quod concordiam scidit, non minus felicitati publicæ, quam saluti ovium et pastoris officio necessariam. Tempestate pene obruti, fluctus quos sedare non licuit precibus, fuga declinare oportuit. Verum Deo gratias, Christus qui fremente procella dormire visus est, ad clamores tandem periclitantis evigilans imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Pacem quam diabolus eripuerat, restituit nobis Deus pacis. Illam, quæso, fratres, ardentè amate, indesinenter quærite, prudenter custodite. In vinculo charitatis corda nostra cohæreant, et sicut de primis Christianæ fidei cultoribus scriptum est, *erat cor unum et anima una*, ita in posterum, in unitate spiritus ambulemus omnes. Nolite timere, filioli, quos iterum parturio, ne mala quibus pastorem exagitastis, pastorem contra vos exasperent. Etsi enim, non mihi, sed sacerdotio vim

B feceritis, spero tamen de misericordia ejus quæ propitiatur iniquitatibus nostris, lacrymarum vestrarum abundantia deletum esse crimen quod patrastis. Rogemus ergo nunc Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis, ut pacem quam dedit immeritis, merentibus denuo conservet; satagamus ut per bona opera redimemus mala, et certam faciamus vocationem nostram, quatenus uno ore honorificetur Deus, nunc et semper. Amen.

#### SERMO II.

*De concordia servanda.*

(LE PAIGE, *Bibliotheca Præmonstrat.* Parisiis, 1633, fol. p. 370.)

C Viri fratres, Dominus noster Jesus Christus cum discipulos suos ad prædicandum mitteret, inter alia hoc mandatum illis præscripsit, ut in quamcunque domum intrarent, primo dicerent: Pax huic domui, et si ibi esset filius pacis, requiesceret super eum pax eorum. Nos autem non nostris meritis, sed sola Dei superabundanti gratia, imitatores eorum effecti, eandem pacem vobis denuntiamus, quæ mente incredula contemnenda non est; nam ad pacem æternam pertingere facit. Vobis igitur incognitum non est, ad quid convenimus: non est nostrum, neque ex nostro utpote qui peregrinus sum, et advena pertransiens, sed potestatis et voluntatis Dei est perficere; nostrum autem est ipsius voluntati ex integro et devoto affectu acquiescere.

## S. NORBERTI CHARTÆ.

#### I.

*Pro ecclesia Sanctæ Mariæ Magdeburgensi.*

(Anno 1129.)

[Exstat supra in *Analectis Norbertinis*, cap. 3, num. 32, 33.]

#### II.

*Hospitalem domum quamdam fratribus Præmonstra-*

D *tensibus in ecclesia B. Mariæ Magdeburgensi constitutis tradit.*

(Hugo, *Vie de S. Norbert*, p. 362, notes.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, nos NORBERTUS, Dei gratia sanctæ Ecclesiæ Magdeburgensis archiepiscopus.

Cum plurima antecessoris nostri piæ memoriæ

Adalberti munifica largitate, quædam domus hospitalis juxta ecclesiam beatæ et gloriosissimæ Mariæ constructa fuisset, ipsam, quod non sperabamus, pene annihilatam invenimus, ita quod hi qui in ea stipendium quotidianum accepturi erant, indecenter et miserabiliter mendicarent, quorum necessitati et miseræ compatiens, consilio et consensu majorum nostrorum, eandem domum hospitalem fratribus nostris in ecclesia beatæ et perpetuæ virginis Mariæ constitutis cum omnibus eidem hospitali attinentibus, regendam et disponendam jure perpetuo tradidimus.

Actum in suburbio civitatis Magdeburgensis, anno Dominicæ Incarnationis 1130.

Hujus rei testes sunt Lindolphus Brandeburgensis episcopus, Gombertus episcopus Havelbergensis, Hartuicus episcopus Misnensis.

### III.

*Charta S. Norberti in favorem hospitalitatis pauperum.*

(Hugo, *ibid.* p. 250.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, amen.

Decimæ Deo ad hospitale de omni possessione et oblatione fratrum, usibus pauperum dentur. Sic tamen si summa argenti decem solidos valuerit vel usque ad decem solidos oblata fuerit, ex his

A decem et octo pauperes per singulos annos vestiuntur, octo per hiemem, et decem per æstatem. Per hiemem scilicet in festo Omnium Sanctorum, unus; in Nativitate Domini, unus; in Circumcisione Domini, unus, similiter in Epiphania Domini, in Purificatione sanctæ Mariæ, in Annuntiatione sanctæ Mariæ, in sepultura Domini, in Resurrectione Domini vestibus novis, scilicet camisiis, braccis, caligis, soccis, subtularibus, tunica, cappa cum mantello aut pelibus vestiatur. Per æstatem vero in Ascensione Domini, per septem dies Pentecostes, in passione apostolorum Petri et Pauli, in Assumptione sanctæ Mariæ, nova chlamyde sive cappa, camisia, braccis, soccis, subtularibus, in singulis festis unus induatur.

B Ex die autem quo pauper vestem accepit usque ad diem octavum, si remanere vult, refectio corporis ibidem ei exhibeatur. Cætera in usus pauperum advenientium vel transeuntium impendantur. In cœna autem Domini unusquisque sacerdotum vel levitarum, post lotionem pedum mendicorum, consilio præpositi, unum de propriis vestibus sive cappam, sive pelles seu tunicam, seu caligas ipsi charitative impendant, qui post acceptam charitatem nequaquam, ut superius, per dies septem remaneant, sed post refectionem abeant.

## BARTHOLOMÆI

LAUDUNENSIS EPISCOPI

### DONATIONES PIÆ S. NORBERTO ET PRÆMONSTRATENSIBUS FACTÆ.

(Hugo, *Sacri et canonici ordinis Præmonstratensis Annales*, Nanceii, 1734, fol.)

#### I

*Charta donationis Præmonstrati per Bartholomæum episcopum Laudunensem.*

(Anno 1121.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Notum fieri volumus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Bartholomæus Laudunensis episcopus, viro reverendo et spectabilis religionis temporibus nostris Norberto et successoribus ejus in sancto proposito viventibus, dederim locum, qui nostri juris erat, totum liberum ab omni exactione cujuslibet personæ absolutum, apud Huberti-pontem (*Huberpont*), a loco qui dicitur Halieprest (*Près-prieur*), usque ad vallem Rohardi (*vallée Rohard*), cum tribus adjacentibus vallibus, totum in allodium, a rivo versus Vois, sicut valles dividunt et perportant ad ecclesiam in honorem Dei et sanctæ Dei genitricis construendam, et sicut totum possidemus in allodium, ita in omnimodis libere possidendum eis concedimus. Pascua vero seu prata, a Ponte-Huberti, usque

C ad Mormandi vicinum; et citra et ultra rivum, animalibus eorum communia erunt omni tempore. Ultra rivum autem ex parte ecclesiæ in defensione erunt ad opus eorundem fratrum usque ad collectionem feni et frugum. Deinde vero communia erunt tantum ut nullus importunus sit religioni eorum super ulla occasione. Conceditur tamen rusticis qui sunt in vicinia, colligere de silva quæ est in jugis montium, colligere materiam ad opus capitis seu stiptis aratri, sive axis. In omni igitur labore eorundem fratrum facto in iisdem locis, nullus exigat ab eis nec decimam, nec terragium, nec molestiam quælibet persona inferat quieti ipsorum, et omnimodis ab omni parochia absolutos, omnesque eis subjectos eremitas permanere censemus. Volumus etiam notum fieri, quod ecclesia Præmonstrata et locus, eisdem a prædecessore nostro Helenando data et confirmata fuit ecclesiæ Sancti Vincentii, sicut etiam in privilegio continetur; modo vero, quia in solitudinem penitus universa erant redacta, abbas Seifridus, et conventus ejusdem ecclesiæ Sancti Vincentii, utile duxerunt esse